

Geo num. 70. O. 19.

DISPUTATIO INAUGURALIS
JURIDICA
DE

1658/19 19

SOLUTIONE
IN SPECIE
DICTA,

Quam

D. O. M. A.

*Ex decreto & auctoritate Magnifici & Nobilissimi
Jctorum in Illustri Salana Ordinis,*

P R Æ S I D E
V I R O

*MAGNIFICO, NOBILISSIMO, AMPLISSIMO AC
CONSULTISSIMO,*

DN. JOHANNES STRAUCHIO,

Jcto & Antecessore hujus Academiae longè celeberrimo,
achodiè Pro-Rectore Magnifico, Consiliario Saxonico, & Curia
Provincialis Saxonico Ducalis atque Scabinatus Assessore gravissimo, Fa-
cultatis Juridicæ h. t. Decano spectabili, &c.

*Præceptore, Promotore ac Patrono suo quovis honoris & observantia
cultu etatem prosequendo,*

PRO SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS AC PRI-
VILEGIIS DOCTORALIBUS LEGITIME CONSEQUENDIS,

Publico Eruditorum examini submitte

MELCHIOR SCHWELINGIUS, Bremensis.

Ad diem XV. Julii,

Loco horisque solitis.

ANNO ACADEMIÆ IVBILÆO.

JENÆ, Typis JOHANNIS NISII.



21

P. 48

4'



DISPUTATIO IN ANTIQVARIIS

JURIDICA

SOLLITONE

IN RE

DR. JOHANNES STRAUSS

DR. JOHANNES STRAUSS



CUM DEO.

THES. I.

Solutione in specie sic dicta quid ea & qualis sit, quibus & à quibus, qua in re, quoque modo fieri possit debeátve, quisque ejus legitimè factæ sit effectus, breviter exposituri, non agemus initiò prolixè de variis vocabuli solutionis significationibus. Siquidem recensere eas sigillatim omnes nimis longum esset: cum plurimæ ejus vocis diversissimæque apud Romanos Scriptores passim occurrant acceptiones. Sed instituto nostro (nisi fallimur) satis erit, si quid Romani Juris conditoribus potissimum, quidque nobis in præsentis isto vocabulo veniat, paucis indicaverimus.

II. Sciendum igitur est, dupliciter solutionis verbum considerari posse: vel quatenus refertur ad ipsum juris vinculum, quo debitor creditori est alligatus: vel quatenus refertur ad rem quæ in obligationem deducta est, quamque creditori debitorem præstare oportet. Ac primo quidem modo considerata solutio interdum universalius accipitur, pro quavis à nexu obligationis liberatione, uti discimus ex *l. solutionis. 54. de soluz. & l. liberationis. 47. de V. S.* Sive illa facta sit per creditorem, debitum scil. debitori remittendo, ut in *§. 1. Inst. quib. mod. toll. oblig. l. si rem. 31. §. si duo. 1. de novat. & t. t. ff. & C. de*

accept. sive per debitorem, debito quovis modo se exonerando, ut in *l. 1. & pass. de solut. l. ob signatione. 9. C. eod. l. qui libertinus. 37. §. sed si creditori. 4. de oper. libert. sive* per utrumque simul, ut in *§. ult. Inst. q. m. t. o. l. ab emptione. 58. de pact. l. emptio. 3. l. cum emptor. 5. de rescind. vendit. l. 1. C. quand. lic. ab empr. disced.* Interdum verò strictius sumitur pro certa quadam liberationis specie, eamque quæ fit per naturalem rei, quæ debetur, præstationem. vid. *l. in omnibus. 43. l. prout quidque. 80. de solut.*

III. Posteriori autem considerata modo, denotat ipsam rei debitæ præstationem: & quidem vel in genere, sive illa verè & actualiter fiat, sive imagine ac repræsentatione quadam, ut complectatur & compensationem, dationem in solutum, acceptilationem, aliamque qua creditor est contentus satisfactionem. *l. 4. qui potior. in pign. Auth. hoc nisi. C. de solut. Nov. 4. c. ult. d. §. 1. Inst. q. m. t. o. l. si ex pluribus. 16. de accept. l. satisfactio. 52. de solut. l. solutionis. 176. de V. S.* Vel in specie significat ejus quod debetur, præcisè ut debetur, præstationem. *l. 5. de acceptil. l. 7. §. 1. de liber. leg. l. 49. l. 107. de solut. & passim in jure nostro.* Quomodo etiam à Cicerone usurpatur, cum alibi, tum de Offic. II. *circ. fin.* Nec enim ulla, inquit, res vehementius Rempubl. continet, quàm fides: quæ esse nulla potest, nisi erit necessaria solutio rerum creditarum. Atque postremo hoc in significato accepta solutio illa est, de qua nobis deinceps agendum erit; quæque ideò hunc in modum nunc descripta esto: quòd sit, actualis præstatio ejus, quod in obligatione continetur, ex legum præscripto facta creditori, aut cui eam fieri creditor voluerit, à debitore, vel ejus nomine alio, ad tollendum obligationis nexum.

IV. Di-

IV. Dico esse *præstationem*: quod vocabulum generale est, & comprehendit dationem & factum; sive pertinet ad ea omnia, quæ in obligatione versantur, ut fiant. Nam & qui dat, quod ex obligatione dare debuit, præstat: & qui facit, quod ex obligatione facere debuit, similiter præstat. *l. 2. §. 1. l. huiusmodi. 64. l. fundū. 114. de V. O. l. quadam. 41. famil. ercisc. l. Titia amica. 35. pr. de aur. & argent. leg.* Eoque ipso discriminatur à solutione modo *in fin. th. II.* indicato acceptâ; cum qua quamvis non rarò confundatur, accuratè tamen loquendo differt ab ea, tanquam ab effectu causa. Additur *actualis*, ut distingvatur à solutione imaginaria. Verba autem, *ejus quod in obligatione continetur*, remouent errorem eorum, qui solutionis specialiter sic acceptæ objectum solam pecuniam numeratam esse existimant, moti imprimis *d. l. 49. de solut.* Verùm cum ibi agatur de casu, quo pecunia in obligationem erat deducta, facile ipsi largior, solutionem (talem scil. de qua nobis hic sermo) fieri non potuisse, nisi pecunia numeraretur creditori. Nihilominus & alterius rei in obligationem deductæ naturalem exolutionem esse veram & in specie dictant solutionem concedendum erit. Neque enim ex diversitate debiti, sed ex diverso debitum solvendi modo, laxior strictiorve nascitur solutionis acceptio. Reliqua, quæ in definitione ponuntur, ad personas, formam item, & finem solutionis pertinent.

V. Verùm hæc quò pateant clarius, dilucidè nunc exponemus singula. Exordium autem operæ faciemus à personis, quæ duplices sunt, solventes nimirum & eæ quibus solvitur: ac de illis primo agemus loco. Ubi in initio observandum est, quòd persona solventis debeat

esse talis, quæ liberam & non impeditam rerum suarum
habeat administrationem. Absque ea enim si sit, rei
solutæ dominium abire à solvente, & transire in eum,
cui solvitur, haud potest, §. *ult. in fin. Inst. quib. alien. lic.*
quod tamen in omni rectè facta solutione fieri neces-
sum est. *arg. l. non videtur. 167. pr. de R. J. l. obligari. 9. §.*
2. de auct. tut. Unde arcentur: Pupillus *d. §. fin. Inst.*
quib. alien. lic. d. l. 9. §. 2. de auct. tut. l. quòd si. 14. §. fin. de
solut. l. interdum. 29. de condict. indeb. l. pupillus. 11. de A.
R. D. Furiosus quæ talis d. l. 29. de condict. indeb. tempore e-
nim induciarum, si quas habet, solvere non prohibetur.
l. 6. C. de curat. furios. Prodigus. l. 1. l. 10. de curat. furios.
l. 6. de V. O. d. l. 29. de condict. indeb. Minor curatorem
habens. *l. 3. C. de in integr. rest. minor. l. 1. §. 3. de minor.*
Reus criminis læsæ Majestatis *l. 20. de accus. l. 5. §. 4. l. 6.*
§. 1. l. 8. pr. C. ad L. Jul. Maj. II, qui repetundarum po-
stulantur *d. l. 20. de accus. & inscript.* Et si quæ sunt per-
sonæ aliæ, quibus bonorum suorum administratione
alienatione ve est interdictum.

VI. Deinde cum parum aut nihil interfit credito-
ris, à quo, quod debetur sibi, dependatur, modò id con-
sequatur, non præcisè requiritur, ut ab ipso debitore fiat
solutio, (nisi fortè factum, quod arte constat, in obliga-
tione contineatur, specialitèrve actum sit, ut suis operis
debitor, quod promisit, perficiat. *l. inter artifices. 31. de*
solut. l. 1. §. pen. de exerc. act.) sed potest ea ab alio etiam non debitore, debito-
ris tamen nomine, fieri *pr. Inst. q. m. r. o. l. 5. l. 17. C. de*
solut. l. 1. §. pen. de exerc. act. Imò cum non semper i-
psum debitorem (puta si ex numero sit personarum pro-
ximè præced. thes. enumeratarum) solvere jura permit-
tant, periniquum sanè & maxima cum creditoris inju-
ria

ria conjunctum foret, ni, qui debitoris nomine solve-
ret, alii permetteretur. Nec officit quòd Pomponius
in *l. si pœna. 19. §. 1. de condict. indeb.* solventi, quod alius
debet, repetitionem competere dicat: posito autem
jure repetendi, non posse dici debitorem à creditore li-
beratum, aut creditorem, quod sibi debetur, consecu-
tum; adeoque frustra ab alio, quàm vero debitore, sol-
vi. Hæc, inquam, nullo modo officiant: Satis enim
manifestum est, Jctum in *d. rex.* loqui de eo casu, quo
non debitor verum se debitorem falsò existimat, ideò-
que non alieno, sed proprio nomine solvit; confer. *l. 8.
l. 44. & l. 65. §. 9. eod.* de quo nobis tamen sermo non
est. Add. Cujac. *8. obs. 9.* Quare non dubitatur, quin
rectè quoque & utiliter solvat procurator, tam cui ge-
neraliter libera administratio rerum commissa est, *l. sed
& 59. de procurat. l. 6. pr. de condict. indeb. l. quodlibet. 87.
de solut. l. 18. C. eod.* quàm cui specialiter ut solvat est de-
mandatum, *l. qui mandat. 56. l. cum jussu. 64. de solut.*
Item negotiorum gestor *l. divortio. 35. pr. V. si illo tempo-
re. de N. G.* Tutor curatòrve nomine pupilli vel adulti
*l. generaliter. 10. l. sine herede. 32. §. Lucius. 6. de administ.
& peric. tut. l. quid ergo. 3. §. 1. in fin. & §. 2. de contrar.
tut. & util. act.* Fisco nomine ejus, cujus bona ad se devo-
luta sunt *l. 15. C. de fidej. & mandat.* Extraneus ad libe-
rationem rerum pignori obligatarum *l. 21. C. de pignor.
& hypoth.* De quibus aliisque suo vel alieno nomine re-
ctè solventibus videatur Barn. Briffon. *lib. 1. de solut. &
liberat. p. 105. & seqq.* & Joh. Althus. *Dicaol. lib. 2. cap.
14. n. 12. & seqq.*

VII. Neque verò pro sciente solum aut mandan-
te debitore, sed etiam pro ignorante vel invito solvi
potest.

potest. *pr. Inst. q. m. t. o. l. 39. de N. G. l. 23. l. 40. l. 53. de solut.* quoniam, ut loquitur *J. C. in d. l. 39.* naturalis simul & civilis ratio suadet, alienam conditionem meliorem etiam ignorantis & inviti nos facere posse. Nec est quòd hìc quis objiciat *l. invito. 69. de R. J.* Etsi enim aliàs ab obligatione liberari beneficium fortè non exiguum sit; tamen ubi liberatio ex necessaria quadam juris ratione contingit invito, beneficii rationem in eo formaliter non habet. Add. *Bachov. ad Tr. vol. 2. Disp. 29. th. 3. B. Aristot. V. Ethic. 9.* Et rectè *Isidorus lib. 3. sentent. de summo bono. c. 54.* Multa bona, inquit, præstantur invitis, quando eorum consulitur utilitati, non voluntati. Hoc tamen interest inter eum qui pro ignorante solvit, & solventem pro invito, quòd, quamvis utroque casu debitor liberetur, tamen hic regressum adversus debitorem non habeat *l. 6. §. si passus. 2. l. si pro te. 40. mandat. l. ult. C. de neg. gest.* cùm ille actione negotiorum gestorum solutum, repetere possit. *l. cùm pecuniarum. 43. l. ult. de N. G.*

VIII. Quamvis verò hæc ita sese habeant, compelli tamen ad solvendum à creditore nemo potest nisi ipse debitor *l. debitor. 108. de V. S. l. Fulcinius. 7. §. si in diem. 14. quib. ex caus. in poss. eat.* aut qui debitoris obligationem suscepit vel expromittendo *l. 7. §. 8. de dol. mal. l. qui libertinus. 37. §. fin. ibiq. Gothofr. in not. de oper. libert. l. 4. de condict. caus. dat.* vel constituendo *l. eum qui. 5. §. 2. & 3. l. quidam. 26. de pecun. constit. vel fidejuben. do l. 4. §. 1. de fidejuss.* Hac tamen notabili differentiâ, quòd in fidejussorem & constitutorem jure Novellarum actionem cum effectu dirigere creditor non possit ante excussum reum principalem, *Nov. 4. c. 1. Auth. presente. C. de*

C. de fidejuss. modò illi beneficio huic non renunciave-
rint *l. si quis. 29. C. de pact.* & reus principalis præsens ac
solvendo sit, *d. Auth. presente. ubi Dd.* itemque efficaci-
ter sit obligatus, cum nulla possit esse excussio, ubi nulla
est actio. Add. Vasquius *illustr. contro. lib. 1. cap. 33.*
n. 12. & seqq. Gail. *2. Obs. 27.* Hering. *de fidejuss. cap. 27.*
p. 1. n. 186. & seqq. Expromissor autem cum alienam
ita in se transferat obligationem, ut is, à quo est datus,
planè non obligetur *d. l. 37. §. fin. de oper. libert. l. 4. de*
condict. caus. dat. conventus à creditore ista excussionis
exceptione defendere se haud potest.

IX. Sed quid dicemus de fidejussore qui principa-
lem se debitorem constituit, an hic quoque excussionis
beneficio erit exclusus? Sunt qui affirmant; sunt qui
negant; quorum omnium rationes in medium produ-
cere atque examinare ratio instituti nostri non patitur.
Sanè differre eum ab expromissore patet, cum constitu-
tor nunquam, nisi expressè prior obligatio sit remissa *l.*
ult. C. de novat., eum, pro quo se soluturum constituit,
obligatione eximat *l. ubi quis. 28. de pecun. constit.* Sed
talem prioris obligationis remissionem hinc factam esse
non est existimandum, cum aliàs ineptè à nobis status
quæstionis formatus esset de fidejussore, qui similiter
debitorem semper relinquit obligatum *l. 1. §. 8. de O. &*
A. §. 5. Inst. de fidejuss. Nec mutat quòd se constituerit
debitorem principalem; cum aliud sit debitorem prin-
cipalem esse, aliud principalem debitorem se constitu-
isse: hoc etiam de fidejussore prædicari potest; illud non
potest. Quare duo hinc sunt rei, quorum alter principa-
lis est, alter principalem se constituit. Atque hinc pa-
rum subtiliter in proposita quæstione distinguere vide-

B

tur

tur Glos. *in verb. fidejussorem cap. i. d. Nov. 4.* utrum fidejussor constituat se principalem novandi animo, an circa novationem. Nunquam enim fidejussor, qua talis, constituit se principalem per novationem, cum hoc manifestò implicet: nec etiam de alio, uti diximus, quam fidejussore controversia est, aut esse potest; cum controversia omnis oriatur ex dubio, caret autem omni prorsus dubitatione excussionis beneficium cessare in eo, qui per novationem se pro alio obligavit, quoniam per novationem prior obligatio tollitur *l. 1. de novat. §. 3. Inst. q. m. r. o.* adeoque quærere num iste ordinis sive excussionis beneficio possit uti, nihil esset aliud, quam quærere, an prius sit conveniendus, qui amplius non est obligatus: quod quàm sit ridiculum, nemo non videt. Quare, ut breviter sententiam nostram proponamus, debitorem principalem se constituere, quando de fidejussore prædicatur, nihil est aliud, quam huic ipsi, de qua agimus, excussionis sive ordinis exceptioni renunciare; sive pronunciare, liberum esse creditori debere, utrum prius ipsum debitorem, an se fidejussorem convenire velit, seque à creditore conventum nulla usurum exceptione, qua ipse debitor principalis uti non potest. Nam aut hoc verba illa inferent, aut nihil operabuntur; novationem enim hîc non fieri, jam dictum est supra: at ea otiosa esse, & sine virtute operandi, id verò affirmare perquam fuerit absurdum. An autem excussionis remedio renunciari à fidejussore possit, dubitandum non est, & jam th. præced. à nobis est probatum. Vid. Rittershus. *expos. Novell. part. 2. c. 2. n. 20.* Quibus igitur positus, fidejussorem qui se principalem debitorem constituit, non gaudere beneficio excussionis, suâ sequitur sponte.

sponte. Add. Fachin. *8. controu. 54.* Hering. *rr. de fi-
dejuss. cap. 27. p. 1. n. 84. & seqq.* Nec refragatur textus
in *l. 3. C. de fidejuss.* quem vel solum abstinere quem pos-
se ab ea, quam propugnamus, sententia dicit Bachov.
ad Tr. vol. 2. disp. 28. th. 5. lit. C. & D. Quoniam enim
beneficium divisionis, de quo in *d. l. 3.*, à D. Hadriano
concessum est pluribus ejusdem obligationis fidejusso-
ribus, quorum natura est, ut quilibet in solidum tenea-
tur, etiamsi hoc non exprimat *d. l. 3. & §. 4. Inst. de fi-
dejuss.* utique qui in obligatione ex abundantia adjiciunt,
quòd singuli in solidum velint esse obligati, tantum ab-
est ut dicto divisionis beneficio renunciaverint, ut poti-
us per istam adjectionem declarasse videantur, se ex nu-
mero esse illorum, quibus isto beneficio uti sit integrum.
At qui se pro alio ut principalem obligat, sicque consti-
tutam vult obligationem, ac si non fidejussor, sed debi-
tor sit principalis, illud maximè agere intelligitur, ne
ex eorum numero sit, quibus excussionis beneficio, ut-
pote fidejussori qua tali, non principali dato, utendi per-
missa est potestas; ac consequenter isti renunciasse non
potest non videri.

X. Quod si autem debitor principalis, qui vè pro
co se obligaverunt, è vita emigraverint, quin heredes
quoque eorum ad solvendum cogi possint, dubium
non est. *l. ex contractibus 49. de O. & A. l. 4. §. 1. de fide-
juss. l. 24. C. & §. 2. Inst. eod.* cum heres una quodammo-
do sit persona cum defuncto. *Novel. 48. prefat.* sive, ut
Grotius loquitur *lib. 2. de J. B. & P. cap. 21. §. 19.* personam de-
functi referat in bonis, quibus ut cohærerent ea, quæ alicui
debentur, ex ipsa rerum inæqualitate, simul cum domi-
nio fuit introductum. *vid. eundem d. lib. 2. cap. 14. §. 10.*

Sed si plures debitor reliquerit heredes, singulinè in solidum teneantur, an verò in eos actio pro iis partibus, pro quibus quisque defunctum repræsentat, sit dividenda, quæri solet. Et quidem si id, quod solvendum est, naturâ & jure partium præstationem recipit, quemlibet pro ea duntaxat parte, qua heres est, teneri, expeditum est. *l. ex parte 25. de solut. l. in executione 85. §. 1. de V. O. l. 2. C. de hered. act.* Si verò non recipit partium præstationem, solidum à singulis heredibus deberi ait Marcellus *in l. ea quæ. 192. de R. I.* Rationem reddit Jctus Paulus *in l. 2. §. 2. de V. O.* quoniam ex persona heredum conditio obligationis non immutatur. Add. *l. via. 17. de servit. l. fidei commissa. 11. §. 23. & 24. de legat. 3. l. ult. de servit. legat. l. 25. §. 13. & 22. fam. ercisc.* Attamen qui ex heredibus solidum præstitit, familiæ erciscundæ judicio à coherede, utpote ista solutione ab obligatione, qua & ipse in solidum tenebatur, liberato, pro rata repetitionem habet. *d. l. 2. §. 2. de V. O.* Quænam autem debita dividua sint, quæ individua, prolixius est quàm ut hîc explicari possit aut debeat. Videat, qui volet, Autorem *tr. de dividuis & individuis. Fachin. 10. contro. 6. 3. n. 38. & seqq. Bachov. ad Tr. vol. 2. disp. 27. th. 4. & 5. Nobilifs. D. Hahn. in Observ. ad Wesf. de V. O. n. 6. verb. à materia.*

XI. Personas porrò quibus solvitur quod attinet, nihil videtur expeditius quàm solvendum esse creditori: quandoquidem is solus, quod debetur, jus habet exigendi. *l. solvendo. 39. de N. G.* Sed quoniam tamen vel propter conditionem creditoris, vel ejusdem propter voluntatem fieri potest, ut ipsi creditori facta solutio plenam non pariat liberationem, & ex adverso non creditori

tori facta, pariat: & verò nemo rectè factam solutionem dixerit eam, per quam non tollitur nexus obligationis, aut non rectè factam, per quam tollitur: ideò id, quod diximus, quomodo vel restringendum vel extendendū sit, videndum erit. Et liberatio quidem atque securitas plena non contingit debitori, quoties ejusmodi solvit creditori, qui vel ætatis vel mentis laborat imperfectio- ne. Hinc pupillo vel furioso (adde, & prodigo arg. *l. 1. pr. de curat. furios. l. 40. de R. J. l. 12. §. 2. de tutor. & cur. datis ab his. item minori l. 7. §. 2. de minor. l. 25. C. de administ. tut* Treutl. *vol. 2. Dissp. 29. th. 2. lit. F.*) non rectè persolvit Jctus in *l. servus. 68. de solut. Add. l. pupillo. 15. eod. l. contra 28. pr. de pact. §. 2. Inst. quib. alien. lic.* Quapropter harum personarum debitores utiliter illis solvere si volent, adhibere debent eos in quorum tutela aut curatione sunt, quorumque auctoritate consensuè iste sive mentis sive ætatis defectus suppletur. *dd. txx.* Vel etiam ipsi tutori aut curatorum dependere poterunt *d. l. 68. de solut. l. quòd si. 14. §. 7. l. solutam. 49. l. quæro. 100. eod.* quoniam tutor, quantum ad providentiam pupil- larem, ut loquitur *l. 27. de administ. tutor.*, domini loco haberi debet. Plenissima tamen hanc solutionem ut sequatur securitas, adhibenda præterea est solemnitas ab Imp. Justiniano in *l. sancimus. 25. C. de administ. tu- tor.* præscripta & in *§. fin. Inst. quib. alien. lic.* ab eodem repetita: exceptis solutionibus pensionum, reddituum, & similium causarum, itemque usurarum, quæ neque biennii metas neque centum solidorum quantitatem excedunt, in quibus ista subtilitas non observatur *d. l. 25. l. 27. C. de administ. tut.*

XII. Neque præterea rectè solvitur criminis læsæ

Majestatis & perduellionis reo *l. 6. §. 1. l. 8. pr. C. ad. L. Jul. Maj. Gail. 1. P. P. cap. 19. n. 14.* quem & ipsum ex quo sceleratissimum istud consilium cepit, exinde quodammodo sua mente punitum esse dicit Marcianus *in d. l. 8.* Alterius verò criminis reo postulato ante crimen probatum secutamque condemnationem nihil prohibet rectè pecuniam à debitoribus solvi *l. reo. 41. l. Callippo. 45. §. 1. de solut. l. aufertur. 46. §. 6. de jur. fisc.* Cur autem specialiter ei qui læsæ Majestatis reus perhibetur nec solvi quidem posse statuerint Impp. ejus causam fuisse putat Bachovius *ad Tr. vol. 2. Disp. 32. th. 1. G.* ut omnino consultum esset fisco, qui in quemcunque eventum probato postea crimine bona est habiturus. Sed cum repetundarum quoque aut incesti postulatorum bona, probatis istis criminibus, fisco vindicentur, *l. ex judiciorum. 20. de accusat. Novell. 12. c. 1.* & tamen idem de iis non sit constitutum, nec etiam appareat ratio cur hinc minus consultum esse fisco voluerint, quibus & aliàs curæ solet esse, ne quid fiscus ulla in re detrimenti capiat *Novell. 17. c. 8. & simil. 1xx.* ista quidem causa non videtur fuisse præcipua. Querenda igitur erit alia. Frustra autem, meo judicio, quæsi verimus aliam, quàm ob quam reliqua etiam recensita in *l. 5. 6. 7. & 8. C. ad L. Jul. Maj.* contra rationem juris communis singulariter hoc in crimine statuta videmus. Nimirum cum majestatem Imperii veram esse salutis tutelam non ignorabant Impp., illam ut incolumem tuerentur, nihil omittere voluerunt, quo posset ostendi singularis eorum severitas in coercendis iis, per quos maximum illud Imperii munimen violatur, quorumque nefariis consiliis illi ipsi, quorum cautio totius Reipubl. cautio est, ut ait Cic.

pro

pro Marcell., in maxima veniunt pericula; cuiusque timore scelerata capita atanti facinoris immanitate qui-
rent deterreri. Add. Tacit. *1. Annal. c. 72.* Clapmar. *de*
arcas. Rerump. lib. 5. cap. 16. Loccen. *not. Polit. in 2.*
Curt. lib. 10. verb. maximum crimen. Pariliter solvi non
debet ei, qui sceleris conscientia perterritus aufugit &
requirendus adnotatus est *l. ult. §. ult. de requir. reis.* ne
per hoc fuga eius instruatur commeatu.

XIII. Propter voluntatem autem creditoris quod
diximus alii etiam quam creditori cum effectu liberati-
onis solvi posse, id verum est, siue voluntas illa solutio-
nem precedat, ut in iussu mandato vè, siue eam sequatur,
ut in rati habitione. Nam qui solvit alii vel mandante
vel ratum habente creditore, cum non minus liberatio-
nem consequi, quam si eidem creditori solvisset, rescri-
bunt Imp. Dioclet. & Maxim. *in l. 12. C. de solut.* Add.
l. 4. C. eod. l. solutam. 49. l. dispensatori. 51. ff. eod. l. solutum.
11. §. 5. de pigner. act. l. mortuo. 15. §. 1. in fin. de stat. liber.
Unde statim sequitur rectè solvi procuratori creditoris,
non solum ei, cui specialiter ut solutionem accipiat, est
mandatum, verum etiam omnium negotiorum admi-
nistratori *l. vero. 12. pr. de solut.* quoniam & huic ut sol-
vant intelligitur dominus debitoribus mandare. *l. qui*
hominem. 34. §. 3. eod. Add. *l. cum decem. 71. §. 1. & 2. eod.*
l. quia 11. de pact. l. si procurator. 6. §. 2. de condict. indeb.
Qui verò alienis negotiis ultrò se offert, ei solvendo ne-
mo liberatur *d. l. 34. §. 4.* nisi solutionem factam credi-
tor habeat ratam *d. l. 12. §. fin. cum l. seq. l. si quis. 58. pr.*
de solut. Neque excusabit solventem, quòd existima-
verit verum esse procuratorem: id enim non existimare,
sed scire debuit. Ast ei qui habuit mandatum, licet am-

rev. o.

revocatum sit, utiliter tamen solvit debitor, qui id revo-
catum esse ignorat. *l. 12. §. 2. l. 34. §. 3. l. 38. §. 1. l. 51. de
solut.* cum iusta ignorantia, qualis hæc est, nemini nocet,
at. vid. Aristot. *3. Eth. 1.* Procuratori autem ad litem
dato, sive generali sive speciali, cum is litis tantum con-
testatae, non etiam negotii sit dominus, non recte solvi
perspicuum est. *l. hoc jure. 86. d. t.* nisi datus sit in rem
suam *l. sed si. 13. §. 1. de pact.* aut ad hoc, ut etiam solvi ei
possit. *d. l. 86. in fin.*

XIV. Idem dicendum est de servo: nam huic
quoque vel domini permisso negotia dominica gerenti,
veluti institori *l. 5. §. 9. de instit. act.* dispensatori aut a-
ctori, & dandis accipiendisque pecuniis præposito *l. 51. l.
49. l. 35. de solut. l. 4. l. 19. C. eod.* vel peculii administra-
tionem habenti *l. 20. §. 21. de jurejur. l. 3. C. de solut.* à
debitoribus domini peculiaribusvè recte solvi potest:
modò non fraudulenter solvatur *l. 10. §. 6. in fin. de in rem
vers.* nec causa intervenerit, ex qua intelligi possit, ei ut
solvatur dominum nolle *l. 11. de pos. l. 35. de solut.* Vivo
autem an mortuo domino, si mortuum debitor igno-
raverit, solutum sit, nihil interest: cum & aliàs qui jus-
sus est à creditore alteri solvere, quamvis creditore mor-
tuo, cum id ignoraret, solverit, liberetur. *l. si servus. 32.
d. t. l. inter. 26. §. 1. mandat.* Quoniam nimir. hoc casu
propter justam solventis ignorantiam & bonam fidem
mandatum, morte aliàs mandantis dissolutum *§. 10. Inst.
de mandat. l. ult. de solut.*, pro adhuc durante habetur.
Sicut & liberatio contingit debitori, si manumisso vel
alienato, quem alienatum manumissumvè ignoravit,
fuerit solutum *l. 11. in fin. de pos. l. 18. l. 32. de solut. l. pen.
de R. Cr.* Ubi tamen observanda differentia inter solven-
tem

tem ex contractu domini, & ex causa peculiari: nam debitor domini, si servo manumisso solvat, non aliter liberatur, quàm si datam libertatem ignoret: Peculiaris autem debitor, licet manumissum sciat, si tamen peculium ignoret esse ademptum, rectè solvit *d. l. 18.*

XV. Adjecto quoque, non quidem obligationis, utpote cujus ea est natura, ut in personam conferri extraneam non possit *l. stipulatio. 38. §. alteri. 17. de V. O. l. quacunque. 11. de O. & A. l. 23. de fidej. §. 4. & 18. Inst. de inutil. stipulat.* sed solutionis causa rectè solvere debitorem constat ex *d. §. 4. f. de inutil. stipul. l. 10. l. 12. §. 1. l. 57. §. 1. l. 59. l. 71. pr. de solut. l. ult. §. 3. de V. O.* Cujus autem conditionis sit adjectus iste, nihil interest, utrum servus an liber, sui vel alieni juris *l. 9. pr. l. 98. §. 5. & 7. de solut. l. 56. §. 2. de V. O.* Sed nec, cujus ætatis sit, intererit: nam adjecto pupillo etiam sine tutoris auctoritate solvendo liberatur promissor *l. 11. h. t.* Cui non adversantur quæ de facienda pupillo solutione diximus *supr. 1b. XI.* cum adjectus pupillus non sit creditor *per jura initio hujus thesæos alleg. add. l. 10. de solut.* adeoque hoc quidem solutionis actu conditio pupilli deterior neque fiat neque fieri possit: imputetque sibi stipulator, qui talem personam solutionis causa adjecit. Atque hæc adeò vera sunt, ut quamvis prohibeat creditor adjecto solvi, solvendo nihilominus liberetur promissor, *l. vero. 12. §. 3. l. aliud. 106. d. 1. §. 4. Inst. de inutil. stipul. l. 16. pr. de fidejuss.* Jus etenim adjecto solvendi, semel quæsitum promissori, ei invito per creditorem auferri non potest. Add. *l. Papinianus. 14. de Public. l. insulam. 124. de V. O.* Verum autem id esse intelligendum est ante litis contestationem: lite namque contestata potestas illa solvendi adjecto inter-

C

cidit.

cidit. l. 57. §. 1. de solut. l. 16. de fidejuss. Successoribus au-
tem adjecti non rectè solvitur l. si stipulatus. 82. pr. h. t. l.
cum quis. 55. de V. O. cum actus nudi ministerii non trans-
eant ad heredes, ut notat Gothofr. ad d. l. 81. lit. n.

XVI. Verumtamen de adjecto quæ diximus, ita-
demum procedere vult Jctus Africanus in l. cum quis.
38. pr. de solut. si is tempore solutionis in eodem perfe-
veraverit statu, quo fuit cum stipulatio interponeretur;
sive, quod idem est, si post adjectionem capite non fue-
rit minutus: quoniam nimir. non nisi manente statu in
eum consensisse videatur creditor. Sed obloqui huic
videtur l. eum qui 56. §. 2. de V. O. item l. Stichum. 95. §. 6. de
solut. Et quidem posteriorem hanc ad legem commu-
nis ferè est Dd. responsio, quòd ususfructus, quo de in
ista l. agitur, hoc habeat præ cæteris rebus speciale,
quòd adjecto, quamvis capite diminuto, solvi tamen
possit. Rationes autem specialitatis alii alias commi-
niscuntur, quas apud Bartol. & alios ad h. l. 95. §. 6. vide-
re licet. Sed quò minus ista cum responsione contenti
esse possimus, facit imprimis ratio decidendi à Papinia-
no adjecta, ex qua, quidquam esse in promisso ususfructu
speciale, non apparet: quid enim obstabit, quò minus &
alias res sic stipulari possimus, *Mibi aut Titio, cum capite
minutus erit?* Si verò hoc: cur igitur eam ob rationem
solum ususfructum Titio capite diminuto solvendi
conceditur facultas? Et tamen vel maximè ex ista ratio-
ne de specialitate, ut ita loquar, si quædam subesset, con-
stare debebat; nisi illam nihil concludentem, adeoque
ineptè adjectam dicere maluerimus. Quare fortassis re-
ctius dixerimus, nihil ibi speciale in ususfructu proponi:
sed nimir. stipulatus quis erat sibi aut Titio, scil. capite
minu-

minuendo, dari usum fructum: Titio autem capite de-
minuto, quærebatur facultasne solvendi Titio interci-
disset? Ratio erat dubitandi, quoniam adjecto post adje-
ctionem capite minuto solvi amplius non potest. Re-
spondet JCtus non intercidisse: quoniam enim Titium
capitis deminutionem esse passurum non latebat stipu-
latorem, videtur utique is promissori solvendi Titio et-
iam capite deminuto dedisse facultatem: atque ideò ta-
cita illa conventio, de qua in *l. 38. pr. de solut.* huic stipu-
lationi non inest. Atque hoc est, quod vult JCtus, quan-
do dicit: *nam & sic stipulari possumus, Mibi aut Titio, cùm
capite minutus erit?* Ergò quando constat de mente &
voluntate creditoris, non videtur attendenda esse con-
ditio adjecti. Textum autem *l. 59. §. 2. de V. O.* quod atti-
net, distinguit ibi Accursius, an adjectus per capitis de-
minutionem translatus sit in statum meliorem, an in
deteriorem: & hoc quidem casu solvi ei amplius non
posse; isto, rectè solvi. Atque hanc distinctionem etiam
Bachovius *ad Tr. vol. 2. disp. 29. th. 3. lit. A.* defendi pos-
se existimat. Verùm cùm omnis capitis deminutio sit
mutatio status in deterius, (vid. Nobiliss. Dn. D. Struve
Exercit. ad Pand. 8. th. 67.) in fenum ab ita distinctio.
Antonius Faber autem *3. conject. 20.* JCtos inter se dis-
sensisse existimat, adeoque hinc antinomiam quandam
esse statuit. Sed, præterquam quòd reclamatur *l. 2. §. con-
trarium. 15. C. de V. J. E.*, non existimaverim ullam esse
necessitatem, quare tale quid cum Fabro statuatur. Per-
pendamus modò verba textus, & res erit clara. Dicit
JCtus: *quare vel manente in potestate, vel emancipato filio
rectè solvitur.* Particula *quare* indicat, Julianum hanc
propositionem ex propositione proximè præcedente

inferre: Ea autem est hæc: *non interest sibi aut extraneo cuilibet, an sibi aut filio suo quis stipuletur.* Verùm mira hæc primo aspectu videri posset JCrillatio: qualis ergò illa sit ut appareat evidenter, considerandum est, cui rei probandæ ista à Juliano afferantur. Quæritur igitur ibidem: si quis sibi aut filio suo (quem scil. in potestate sua habet, uti patet ex subjecta ratione dubitandi in *vers. neque ad rem.*) stipuletur, an isti filio rectè solvatur? Affirmat id Julianus. Quare verò? quoniam enim filio in potestate constituto æquè quis stipulari potest, quàm emancipato aut extraneo cuilibet; sequitur filio quoque in potestate manenti non minus rectè solvi, quàm emancipato aut extraneo cuilibet adjecto solveretur: præsertim cum stipulator manifestè personam filii propter hoc adjecerit, ut ei rectè solvatur. Atque hæc est illa Juliani argumentatio, quæ, si in formam redigetur, talis erit: Cuicumque rectè quis stipulatur, ei quoque rectè à promissore solvitur. Sed filio, quem in potestate sua habet, rectè quis stipulatur. E. Perspicuum igitur est, JCrum in *h. l. 56. §. 2.* nihil aliud dicere, quàm filiofam. stipulationi adjecto æquè rectè solvi, quàm solveretur emancipato, si is stipulationi adjectus fuisset; adeoque nullam hîc esse pugnam cum *l. 38. de solut.* nullam inter JCratos dissensionem; & vehementer falli Dd. qui filio post stipulationem emancipato rectè solvi Julianum asserere opinantur. Add. Barnab. Briffon. *de solut. & liberat. lib. 1. p. 178.*

XVII. Creditori etiam creditoris sui, scientis & consentientis vel ratum habentis, solvens debitor quin liberetur non habet dubitationem. *l. cum jussu. 64. l. solutam. 49. de solut.* Sed etsi ratam hanc solutionem creditor

ditor non habeat, tamen liberari solventem affirmat Gajus in *l. si opera. 6. de dol. mal. & met. except.* cuius ratio petenda est ex *l. si quis. 115. pr. de R. J.* Dubitant autem hinc Glossographi, ipsone jure an ope exceptionis contingat liberatio. Sed sine ratione. Cum enim hoc in casu idem obtineri tradat Jctus, quod in casu precedente, ubi doli mali exceptione removendum esse creditorem dixerat, plusquam perspicuum est ipso jure non contingere liberationem. Add. *l. 12. C. de solut.* Quanquam quo ad effectum parum interesse videatur, ipso jure an per exceptionem liberetur debitor. *l. nihil interest. 112. de R. J.* Invito autem & contradicente creditore, debitorem, si solvat, non liberari, verius esse recte existimat Bachov. *d. disp. th. 3. lit. A.* maxime si creditor contra suum creditorem exceptione aliqua uti potuit; tunc enim per replicationem contra exceptionem debitoris quin ipsi succurratur non est dubitandum. Add. Bartol. in *d. l. 6. de dol. mal. except.* ubi quasdam addit limitationes.

XVIII. Haftenus de personis: nunc porrò quid solvendum sit videamus. Constat autem jam tum ex thes. III. solvendum esse id, quod in obligatione continetur. Quod non ita intelligendum est, ac si quicquid est deductum in obligationem, id semper omne & universum etiam deducendum sit in solutionem: sed quòd solutio non sit facienda nisi in eo, in quo ut fieret inter creditorem debitoremque convenit. Pater hoc ex obligatione disjunctiva, ut si V. G. Stichus aut Pamphilus promissus sit, uterque quidem est in obligatione, & uterque verè, licet alternativè, deberur, sed alteruter tantum in solutione, adcoque soluto Sticho liberatio contin-

git in Pamphilo; & vice versa. *l. 44. §. 3. de O. & A.* Utraque res, inquit Paulus in *l. si duo. 128. de V. O.* ad obligationem ponitur, non ad solutionem. Add. Magnif. Dn. Præses *comment. ad 50. Decis. Exercit. ad l. pen. & ult. C. de condict. indeb. cap. 1. n. 17. 20. & seqq.* Quare non semper quod est in obligatione, protinus omne etiam est in solutione; quanquam nihil sit in solutione, quod non etiam in obligatione. Quoniam autem duo sunt quæ in obligatione contineri possunt, res & facta *l. 3. pr. de O. & A. l. 2. pr. de V. O. §. ult. Inst. eod.* apparet hæc quoque esse, quæ solutionis objectum constituunt. Et factum quidem in obligationem si sit deductum, quamvis factum pro facto solvi non possit *l. qui res. 98. §. mihi. 6. de solut.* sive tamen ipsum factum, sive interesse præstiterit debitor, satisfecisse obligationi intelligitur: quoniam enim præcisè ad faciendum cogi non potest, & tamen si factum non præstetur, interesse præstari necesse est, utrumque in ista obligatione alternativè contineri videtur. *l. in stipulationibus. 54. §. 1. l. si pœnam. 68. l. stipulationes. 72. pr. l. quotiens. 81. de V. O. l. si quis. 13. §. 1. in fin. de re judic.* Add. Dn. D. Struve *Exercit. ad Pand. 6. th. 46. Bach. ad Tr. vol. 2. disp. 27. th. 1. L. 115107. III. 15113*
XIX. Sin res in obligationem sit deducta, siquidem absolutè & categoricè, qualiscunque demum sit, ea ipsa est solvenda. *pr. Inst. q. m. t. o. l. 2. §. 1. de R. Cr. l. si cum. 50. de solut. l. eum. 16. C. eod.* Si verò disjunctim illa aut illa res sit promissa, illam quidem aut illam rem solvendi est necessitas, sed promissoris (nisi aliter convenierit, aut rerum hæc alternatio locorum alternationi sit mixta. vid. *l. 2. §. 3. de eo quod cert. loc.* Add. *infr. th. 25.*) est electio, utram velit solvere. *l. plerumque. 10. §. ult.*

ult. in fin. de jur. dot. l. si in emptione. 34. §. 6. de contrah. empt. l. 2. §. 3. de eo quod cert. loc. Nec pro re debita, modo in debitoris sit potestate, nec ad eius solutionem eum cogi sit iniquum, *vid. l. si domus. 71. §. 3. de legat. 1. æstimatio aut aliud quid, quod in obligatione non continetur, invito creditori obtrudi potest.* Treutl. *vol. 2. disp. 29. th. 2. lit. C.* Quod verum est, si certi corporis non fungibilis, siue quantitatis seu summæ rerum fungibilium sit creditor: nam & hic rem alterius, quàm debetur, generis, puta vinum pro tritico, oleum pro melle &c. aut bonitatis, veluti pro vino vetere novum, recipere non tenetur. *l. 2. pr. & §. 1. l. 3. de R. Cr. Add. Dn. D. Struve Exerc. ad Pand. 16. th. 26. & 37. Wesenb. in π. de reb. cred. n. 12.* Regula namque est juris antiqui, aliud pro alio invito creditori solvi non posse. *d. l. 2. §. 1. de R. Cr. cujus exceptiones videri possunt apud Donell. comm. lib. 16. cap. 9. in fin. Rittershus. expos. Novell. part. 2. c. 3. Mejer. in C. f. A. lib. 46. tit. 3. §. 9. n. 29. Dn. Biccium Rer. Quotid. sect. 4. th. 181. & Dn. Hahn. obs. ad Wes. tit. de solut. n. 2. verb. quod debetur.*

XX. Sed quid si generaliter V. G. certum pondus olei, siue certus numerus amphorarum vini, aut modiorum frumenti &c., non adjecta qualitate, in obligatione versetur, quale oleum, vel vinum, vel frumentum &c. erit solvendum? Dicimus, si aliunde, de quo senserint contrahentes, non constet, debitorem, qualecunque voluerit, solvendi habere licentiam. Quoniam enim id demum debetur (uti in hac materia debendi verbum accipimus) quod peti & ab invito exigere potest. *l. debitor. 108. de V. S.* & verò exigere ab invito non potest, quod promissum non est (nec enim de alio obligationis fonte

nunc



nunc est fermo): facile apparet debitorem, qui certæ
qualitatis oleum, aut vinum, frumentumvè non pro-
misit, ad tale quoque præstandum non esse obstrictum:
& consequenter eum cujuscunque generis oleum, vi-
num, aut frumentum, (modò eo. quo convenit, ponde-
re, numero & mensurâ) solvendo liberari. Confer. *l.*
4. de trit. legat. l. fidejussorem. s2. mandat.

XXI. Atque ex his parata est responsio ad vulga-
tam quæstionem in materia mutui tractari solitam, an
pecunia numerata præcisè reddenda sit in eadem mone-
tæ specie? Præmonendum autem est, quod Logici vo-
cant speciem (*scil. infimam*), id Jctis dici genus; & quod
his est species, id Logicis esse individuum: quando igitur
quærimus, an in eadem monetæ specie pecunia cre-
dita sit reddenda, non intelligimus speciem Jctorum
(eam enim non esse reddendam liquet ex *l. 2. pr. de R.*
Cr. & quamvis fortè aliquando contingat præter animû
& propositum contrahentium ut eadem numero pecu-
nia reddatur, non tamen redditur tanquam species, sed
ut res ejusdem generis) sed speciem Logicorum sive ge-
nus Jctorum. Quibus præmissis distinguimus hoc mo-
do: Aut certi generis nummi sunt mutuo dati, v. g.
100. thaleri Imperiales, 100. harte Reichsthaler/ & quod
genus debitori numeratum & creditum est, idem genus
quoque creditori vicissim numerandum in solutione. *l.*
3. de R. Cr. Quod enim creditum est, idem in eodem
genere est reddendum. *l. 2. d. r.* at restituentem pro cre-
ditis thaleris Imperialibus, v. g. ducatos, aut aureos
Rhenanos, &c. idem pecuniæ genus restituere nemo,
opinor, dixerit. Aut verò certa summa sive certa pe-
cuniæ quantitas est credita, v. g. 100. floreni, aut 100.
marcæ,

marcæ, &c. & tum, si ut specialiter certum genus pecu-
niæ aliquando restituatur, conventum fuerit, illud re-
stituendum erit: sin verò de eo nihil expressum, libe-
rum erit creditori quodcunque nummorum sive aure-
orum sive argenteorum genus, quod in solutionibus re-
ceptum, & ex quo creditor damnum non est passurus *l.*
creditorum. 99. de solut., solvere. Quoniam enim hoc
casu non certum genus pecuniæ, sed certa pecuniæ quan-
titas mutuò data, utique ea, si in æquè probâ monetâ,
an guter / unverschlagener / gäng und geber Münze / licet
non ejusdem materiæ, aut formæ externæ, reddatur, e-
jusdem generis res & eadem bonitate solvitur, prout
mutui natura requirit. *l. 2. & 3. de R. Cr.* Vid. Amplif.
Dn. D. Struve *d. Exerc. 16. th. 27.* Quanquam & illud
fortassis addi possit, quòd si in instrumento scriptum sit,
v.g. 100. thaleros in 50. Ducatis, aut 100. florenos in 87 $\frac{1}{2}$
thaleris Imp. esse creditos, etiam in 50. Ducatis aut
87 $\frac{1}{2}$ thaleris Imper. illam quantitatem esse solvendam,
arg. *d. l. 3. de R. Cr.* & quòd verba illa frustra à contrahen-
tibus adjecta esse, non facilè sit existimandum. Illud
tamen sciendum est, quòd secundùm ordinat. mone-
tar. Ferdinandi I. *de Ann. 1559. §. die istgemelten.* creditor,
cui summa aliqua solvitur, ultra 25. florenos in minuta
pecunia non teneatur accipere. Cujus rationem vide-
re licet apud Dn. Hahn. *ad Wesf. de reb. cred. n. 12. in med.*
Add. Dn. Carpzov. *p. 2. const. 29. def. 3.* C. J. A. *lib. 12.*
tit. 1. th. 29.

XXII. Sed si post numeratam pecuniam valore
jusedem mutatus sit, sive per fortunam, ut si v. g. vi qua-
dam belli magna pecuniæ copia in peregrinas terras sit

D

trans-

transportata, indeque ortâ ejus raritate, excreverit æstimationo: sive per malitiam hominum, ut puta si pondus & materiæ bonitas decreverint, nec ea amplius proportio cupri ad argentum, aut argenti ad aurum servetur, quæ servari debebat, quæque tempore contractus servata fuit, secundum quod tempus facienda sit solutio, nobilis est controversia. Sed cum ea accuratè & copiosè tractata sit à Nobiliss. Dn. D. Struven / Jcto solidissimo, *Exerc. 16. th. 29. & seqq.* brevitatis studio eò Lectorem remittimus. Jung. Magnif. & Ampliss. Dn. D. Richter / *Decis. 72. n. 4. & seqq.* Dn. Carpzov. *5. resp. 92. & seqq.* & J. R. S. p. 2. *const. 28. defn. 4. & 5.* Gail. *2. obs. 73. n. 7. & seqq.* Fachin. *2. contr. 9. & 10.* Bachov. *ad Tr. vol. 1. disp. 20. th. 12. & vol. 2. disp. 29. th. 2. lit. C.* & Dn. Hahn. *obs. ad Wes. de reb. cred. n. 12.* Illud autem in genere observandum est, semper solutionem faciendam esse in tali moneta, ex qua creditor nullum potest accipere detrimentum. Cum enim nummus habeat naturam fidejussoris, ut præclare docet summus Philosophorum Aristoteles *V. Eth. 5.*, necessum est ut creditor eum accipiens reddatur securus: id enim est fidejussorem accipere: quod igitur ni fiet, cessabit ejus usus. *Add. l. 99. l. 102. pr. de solut.*

XXIII. Quæri etiam solet à Dd. an qui in genere hominem debet, solvere possit statu liberum? Et secundum ea quidem, quæ Th. XX. proposita, videbatur id affirmandum, cum utique eum, qui solvit statu liberum solvisse hominem non possit negari *l. 9. pr. de stat. liber.* & species omnes complexu generis contineantur: indeque promissorem servi, vespillonem vel alium turpem solvendo, liberari doceat Marcellus *in l. qui decem.*

72. §. 5. de solut. Verum enimvero non ex hoc, sed alio
fundamento quaestionis hujus petenda est decisio. Ni-
mirum qui promisit se daturum hominem, procul du-
bio talem debet solvere, qui perfectè fiat stipulatoris,
eique invito auferri non possit *d. l. 72. §. 5. & 6.* In uni-
versum autem verum est, qui non satisfacit obligationi
suae, obligatione solvi ac liberari non posse. Quoniam
igitur statu liber eveniente libertatis conditione, liber-
tatem adipiscitur, fatendum est per solutionem statu li-
beri, cum servus debebatur, non contingere liberatio-
nem. *l. cum quis. 38. §. 3. d. 1.* Quamvis enim verum
sit, solutum esse servum; non tamen verum est, solu-
tum esse servum qui accipienti auferri non possit. Idem
dicendum de eo, cui libertas ex causa fideicommissi præ-
standa est. *d. l. 72. §. 5. de solut.* Atque ex eodem hoc
principio fluit, quod promissor servi non liberatur, qui
solvit servum communem, aut eum in quo usus fructus
alienus est, *d. l. 38. §. qui hominem. 3. in fin. l. si hominem.*
69. de solut. vel qui nondum noxâ est solutus, quemque
stipulator ad libertatem perducere nequit *d. l. 72. §. 5. &*
6. aut qui alteri pignori est obligatus *d. l. 69.* quemadmo-
dum nec alia res, quæ pignoris nomine alii est obligata,
rectè solvitur, cum ea avocari possit ab eo, qui pignori
accepit. *l. si rem 20. d. 1.* Add. *l. non videtur. 51. l. omnes.*
139. §. 1. l. non videntur. 167. de R. J. Harum enim rerum
solutio non potest nisi ex eventu liberare, dicit Iustus
Paulus in *l. qui res. 98. pr. de solut.*

XXIV. Similiter manifestum quoque est, ad hoc ut dissol-
vatur obligatio, solvendum esse solidum sive integrum
debitum: nec enim ante obligationi est satisfactum.
fac. l. 27. de solut. l. 9. C. eod. l. his consequenter. 18. §. 4. l.

D 2

here-

heredes. 25. §. 14. famil. ercisc. l. 13. §. offerri. 8. de act. emt. l. tutor. 41. §. 1. de usur. l. 3. §. 5. de stat. liber. Particulariorem autem solutionem creditor accipere haud cogitur, quod late probat Bachov. *d. disput. 29. th. 2. lit. B.* Add. Amplifs. Dn. D. Schröter. *animadv. ad Sutholt. disert. 15. aph. 83. Fach. 10. controuv. 59.* Nos autem id ita ostendimus: Quicumque habet jus petendi & exigendi solidum ab invito, is & jus habet recusandi partem. Sed creditor habet tale jus. E. Major est manifesta: quae enim ratione exiget ab invito solidum is, cui partem oblatam non licet recusare. Minor autem patet ex *l. 108. de V. S.* Nam si debitor est, à quo invito, quod debetur, potest exigi: creditor erit, qui ab invito, quod debetur, potest exigere. Exceptiones autem afferri solent hæ: (1.) Si pacto convenerit ut per partes fiat solutio *l. tutor. 41. §. 1. de usur.* (2.) Si alia debiti pars certa & liquida sit, de alia verò lis moveatur. *l. quidam. 21. de R. Cr. l. 8. si pars hered. pet.* (3.) Emphyteuticorum fundorum patrimonialiumque possessoribus pensiones tribus per singulos annos vicibusolvere concessum est. *l. 4. C. de collat. fund. patrim. lib. XI.* (4.) Admittenda est particularis solutio favore libertatis. *l. 4. §. item si decem. 6. de stat. liber.* (5.) Debitum, quod partis præstationem admittit, ab heredibus debitoris pro partibus hereditariis solvitur. *l. 25. de solut. l. 25. §. idem juris. 13. famil. ercisc. confer. supr. th. 10.* (6.) Si diversæ sint obligationes ex diversis causis & contractibus descendentes, diversis etiam solutionibus tolli possunt. *l. ult. quib. mod. pign. vel hypoth.* Quæ tamē postrema exceptio, accuratè loquēdo, nō est de regula: cum eo casu plura sint solida & tota debita, ex diversis quippe causis orta, non unig debiti, partes;

res; atq; ideò unū debitū ex illis solvēs debitor, nō partē debiti, sed solidū solvere intelligitur. Add. C. J. A. *lib. 45. tit. 1. §. 63. & lib. 46. tit. 3. §. 11.* Dn. Hahn. *ad Wes. de V. O. n. 6.*

XXV. Sequitur modus solvendi: qui consistit tum in actuali ejus quod debetur præstatione *l. 49. pr. l. 79. de solut.* tum in eo, ut intra tempus & eo loco, intra quod & quo debitor solvere præmisit, solvatur. *l. 1. de eo quod cert. loc. l. qui Roma. 122. de V. O. l. obligationum. 44. §. 1. de O. & A. l. solidum. 85. de solut.* Et locum quidem quod attinet, vel ille simpliciter est adjectus, ut si v. g. Lipsiæ solvi convenerit, & certum est alibi invito creditore, cujus ut in convento loco solvatur interest, jure solvi sine justa causa haud posse. *l. is qui certo. 9. de eo quod cert. loc. l. 8. & 9. C. de solut.* Vel adjectus est alternatim, ut si v. g. Lipsiæ aut Erfordiæ solvi convenerit, & similiter non tantum alibi quàm Lipsiæ aut Erfordiæ debitum accipere jure creditor recusat, verum etiam electionem habet, Lipsiæ an Erfordiæ velit petere: cui consequens est, debitorem, secus atque in rerum alternatione diximus supra, ubi solvat (post petitionem scil.) non posse eligere. Quæ petitionis electio creditori propterea concessa, ne eveniret id absurdum, ut in arbitrio debitoris sit an debeat (cum effectu scil. eo, ut in judicio conveniatur): quandoquidem is semper alium locum, ubi conveniretur, sit electurus. *l. 2. §. 3. de eo quod cert. loc.* Atque hinc mixta locorum alternationi alternatio rerum (ut si quis v. g. Lipsiæ 20. aut Erfordiæ equum dari fuerit stipulatus) facit, ut propter loci, quam stipulator habet, electionem, penes eundem rei quoque (20. nim. aut equi) eligendæ petendæque sit arbitrium; cum aliàs promissori optione reservatâ tolleretur stipulatori actio.

d. l. 2. §. 3. Vel denique plura loca conjunctim adjecta sunt, ut si quis stipulatus fuerit v. g. Lipsiæ & Erfordiæ 100. dari, & hoc casu solutio dividitur, sive Lipsiæ pars, & Erfordiæ pars est solvenda. *d. l. 2. §. 4. de eo quod cert. loc.* Quod si autem locus, ubi sit solvendum, in contractu non adjectus, regulariter ibi facienda est solutio, ubi quod debetur à creditore petitur & peti debet. vid. *l. 38. & ibi Bart. de judic.* Ire autem ad domum creditoris, ibique debitum offerre (nisi offerendo jus aliquod sibi parare, à poena fortè adjecta se liberare, cursum usurarum sistere, aut periculum in creditorem transferre velit) debitor non obstringitur. Bartol. *in l. item illa. 18. pr. de constit. pecun.* Bach. *d. disp. 29. th. 2. H.*

XXVI. Idem ferè dicendum est de tempore solutionis. Nam si certi temporis, quo solvi debeat, nulla planè à contrahentibus facta est mentio, neque etiam solutio vel propter adjectionem loci *§. 5. Inst. de V. O.* vel propter qualitatem rei debitæ, veluti si partus aut fructus nascituri sint in obligatione *l. interdum. 73. pr. l. continuus. 137. §. 2. & 3. de V. O.* capiat dilationem, ad solutionem confestim faciendam se obstrinxisse videtur debitor. Cujus tamen obligationis executioni meritò aliquod spatium indulgendum est, cum non sit ferendus creditor, qui nullam prorsus velit admittere dilationem, sed statim cum sacco veniat paratus. *l. quod dicimus. 105. de solut. l. promissor. 21. §. 1. de constit. pecun. §. ult. Inst. de inutil. stipul.* neque magnum damnum sit in mora modici temporis *l. si debitori. 21. de judic.* Add. Schneidvv. *ad §. omnis stipulatio. 2. Inst. de V. O. n. 4. & 5.* Si verò certum tempus, quo fieri debeat solutio, contrahentes denominaverint, illo sine dubio erit solvendum.

l. soli-

l. solidum. 85. de solut. l. ut si cui. 12. §. 1. de V. S. Sed an
qui certa die se soluturum promisit, etiam ante illam
diem invito creditori possit solvere, controversum est.
Id verò dum quæritur, non hoc quæritur, an quod in di-
em debetur ante diem invito & repugnantem creditori re-
aliter possit præstari; eo enim sensu neque conventa die
quicquam potest solvi, cum id moraliter sit impossibile:
sed an debitor jus habeat solvendi ante diem, adeoque
debitum ante diem oblatum à creditore, si velit sibi sa-
tisfieri, sit recipiendum, aut si is accipere recuset, moram
facere censeatur. Et rectissime distinguitur, an dies ad-
jectus sit in favorem creditoris, an verò debitoris. Priori
casu, utique verum est, creditorem oblatam ante diem
solutionem impunè recusare. *l. qui Roma. 122. pr. de V. O. l. 43. §. Pegasus. 2. de legat. 2. l. eum qui. 15. de ann. legat.*
cum ei invito commoditas, quam habet si sua die debi-
tum solvatur, non sit auferenda, aut diminuenda. Po-
steriori autem casu, posse debitorem solvendo diem
prævertere, creditoremque solutionem istam recipere
de rectantem constitui in mora, non est dubitandum.
l. quod certa. 70. de solut. l. stipulatio. 38. §. inter incertam. 16. l. continuus. 137. §. 2. vers. sed & quod in diem. de V. O. arg. l. pen. C. de pact. In dubio verò debitoris gratia tem-
pus adjectum creditur. *l. 17. de R. J. l. 41. §. 1. de V. O.*
Add. Magnif. Dn. D. Richter. *Decis. 73.* Quid autem
juris sit, si dies talis adjectus qui possit ad plures referri,
veluti dabis Kalendis Januariis, dabis die Michaëlis, da-
bis in Paschate, &c. videre licet in *d. l. eum qui. 41. pr. de V. O.*

XXVII. Restat ut descriptæ hæcenus solutionis
effectum indicemus. Cum igitur eum in finem solva-

tur,

tur, ut quod inter debitorem creditoremque intercedit
vinculum tollatur, ipsa jam à nexu illo obligationis li-
beratio erit effectus solutionis. Finis namque ut actu
est in rerum natura, est effectus. Arist. II. Phys. r. 30. &
V. Metaphys. c. II. Ut verò debitori facta juxta prædicta
solutione non contingat liberatio, ex iis est, quæ fieri ne-
queunt. Add. l. pen. de solut. pr. Inst. q. m. r. o. Imò
evenit sæpenumerò ut una solutione plures etiam ex-
stinguantur obligationes, videl. plurium reorum, vel rei
& fidejussorum §. 1. Inst. de duob. reis stipul. l. cum quis. 38.
§. de peculio. 2. l. egisti. 84. de solut. Nec tantum soluti-
one rei liberatur fidejussor (item pignora & hypothecæ)
cum sublata obligatione principali non possint non et-
iam tolli accessiones. l. in omnibus. 43. de solut. verum
etiam si à fidejussore, qua tali, fiat solutio, liberationem
ipso jure consequitur reus. pr. Inst. q. m. r. o. ibiq. Ba-
chov. Sed hinc vulgò notis nunc non immorabimur.
XXVIII. Dissoluta autem ita obligatione, tenetur
creditor exhibere ac reddere debitori chirographum,
aut si restituere detrectet, potest id debitor condicere l.
2. C. de condiët. ex leg. l. ult. C. de solut. l. ult. C. ad exhi-
bend. l. 19. C. de fid. instrum. Sed quid si illud fortè amis-
sum sit? Hoc casu creditor debitum (verba sunt Andreae
Gailii 2. obs. 37. n. 4.) acceptum ferre, & apocham confi-
cere debet, quâ testatum faciat, se chirographum debi-
toris non habere, aut reperire non posse, & si illud in re-
rum natura extet, aut ex intervallo in lucem veniat, pro
inducto ruptovè habendum sit. fac. l. hujusmodi. 84. §.
sita. 7. de legat. 1. Posse verò debitorem etiam extra i-
stum deperditi chirographi casum, illud repetentem si-
mul etiam apocham petere, quâ creditor factam sibi so-
lutio-

lutionem fateatur, rectè asserit Bachovius *d. disp. 29. tit. 3. lit. C.* Quòd si enim debitor non potuit creditori denegare instrumentum obligationis: quì fiet, ut justè denegare possit hic illi solvere parato instrumentum liberationis? Par siquidem utrobique est petendi ratio, securitas videlicet: ibi, ne creditum; hìc, ne solutum possit aliquando negari. Esse verò expressâ soluti debiti professione magis consultum debitori, quàm simplicis chirographi redditione, constat ex *l. pecunia. 14. C. de solut.* Add. *d. l. plures apochis. 19. C. de fide instrum.* An autem apocham istam sufficiat esse signatam creditoris sigillo, vel præterea etiam ab eo subscriptam esse requiratur, docet ex Alexandro *in addit. ad Bartol. in l. ad testium. 22. §. si quis ex testibus. 4. ff. de testam.* Robertus Maranta *specul. aur. part. 6. de testium product. n. 67. pag. m. 331.*

XXIX. Sed si ex pluribus causis eidem ab eodem debeatur, & aliquid solvatur, in quam causam, quod solutum est, sit referendum videamus. Et quidem si debitor tempore solutionis expresserit, quod potius debitum velit solutum, nec creditor justam habeat contradicendi causam, in illud solutionem imputandam esse, nullam habere dubitationem palam est. *l. 1. pr. l. Paulus. 101. §. 1. l. creditor. 102. §. 1. de solut. l. 1. C. eod.* Quòd si verò id non factum, in arbitrio est creditoris dicere, cui potius debito acceptum ferat id, quod est solutum *d. l. 1. ff. & l. 1. C. d. r.* Ubi tamen officium boni viri agere debet creditor, & facere debitori suo, quod vellet sibi fieri, si debitor esset; sive, ut ait Ulpianus *in d. l. 1.*, in id constituere solutum, in quod ipse, si deberet, esset soluturus. Quoniam igitur nemo non, cui sine ipse est sanum, illud prius exsolvet debitum, quod sibi magis est

E
urgens,

urgens, evenit ut creditor semper in duriores causas accepto sibi ferre debeat *l. 3. pr. de solut.* Sed objiciet forte quispiam, absurdè igitur dici in *l. 1. C. de solut.* creditoris esse electionem: nam cum hæc sit actus voluntatis, & verò nemo velit nisi quod sibi bonum est, nunquam creditorem imputaturum esse solutum in causam duriores, cum id non sibi sed debitori sit bonum. Verùm respondeo, nihil hîc absurdi esse: quanquam enim quicquid volumus, sub ratione boni velimus; vir tamen bonus non existimabit bonum sibi esse facere id, quod sine violatione juris naturæ committi non potest, cujus quippe præceptum est, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: at debere creditorem in electione isthac ostendere se virum bonum, jam est dictum. Nec etiam valdè moramur, quòd in *d. l. 1. ff. de solut.* legatur solutionem computandam esse in debitum fidejussorio nomine contractum, aut cujus dies nondum venit: cum igitur levius sit debitum alienum quàm proprium, item futurum quàm præsens, perperam dici in graviores causas solutionem accepto ferendam esse. Nam lectionem istam *d. l. 1.* mendosam esse, cuivis insipienti illam *l. 1. junct. l. 3. & 4. eod.* facilè apparet. Ideoque vel cum Cujacio *s. obs. 34.* negatio est retrahenda, legendumque *non in id debitum &c.* aut cum Gloss. Bart. Donel. & aliis pro, *aut in illud*, cum aspiratione legendum, *hand in illud &c.* Confer. Cl. Hahn *ad Wes. de solut. n. 6.*

XXX. Si autem à neutro dictum sit, in quod velit solutum, in graviores causas à debitore datum & à creditore acceptum viderur *l. 3. §. 1. l. 4. l. 5. pr. l. 7. de solut.* Quæ autem causa gravior sit, quæ levior, ex debitorum non quantitate sed qualitate æstimandum est, expo-

exponiturque in modò *alleg. xxx. & l. cum ex pluribus.*
97. d. t. Add. Donell. *comment. jur. civ. libr. 16. cap. 12.*
Menoch. *lib. 3. presunt. 136.* Hartm. Pistor. *libr. 3. q. 21.*
n. 15. & seqq. At si omnium debitorum in omnibus par
sit causa, ex omnibus summis pro portione censetur so-
lutum. *l. 8. de solut.*

XXXI. Quòd si tale sit debitum, quod partim sor-
tem partim usuras continet, constitutum est solutam
pecuniam prius in usuras, deinde in sortem esse impu-
tandam *l. 5. §. 2. de solut.* etiamsi debitori caverit credi-
tor, in sortem & usuras se accipere *d. l. 5. §. 3. & l. 6. d. t.*
Quod tamen de iis intelligendum esse usuris rescripsit
Imperator Antoninus cum Divo Patre suo, ad quas ex-
solvendas debitor cogi potest. Quare si ex legitime
promissæ non fuerint, v. g. in judiciis stricti juris nudo
pacto, *l. Titius. 24. de prescript. verb. l. 3. C. de usur.* aut in
bonæ fidei judiciis pacto nõ in continenti adjecto *l. cum*
quidam. 17. §. 4. de usur. & fruct. l. Lucius. 24. in fin. l. Pu-
blia. 26. §. 1. de pos. l. 5. C. de pact. inter emptor. & vend.
quod solvitur in sortem cedit, nisi proprio titulo, hoc
est, nomine usurarum solvatur. *d. ix.* Quanquam ali-
ud obtineat in imputatione pecuniæ ex distractio-
ne pignorum acceptæ. *d. l. 5. §. 2. Add.*
l. 101. §. 1. eod.

TANTUM.



Ad

*Ad dignissimum Dn. Candidatum
Amicum dilectissimum.*

UT Te Salanis revocari vidit ab oris
Alma Themis, tales solvit ab ore sonos:
Discere nîl superest; Quid enim Tibi, docte, re-
lictum est?


Crede Tibi hoc Musas dicere, crede Dicen.
Præmia sed differs cur quæ Tibi Jena datura est?
Nempe ut fama prius, quàm Tibi Jena daret!

Joh. Strauchius, D.

h. t. Academiæ ProRector &
Fac. Jur. Decanus,

FINIS.





Jena, Diss., 1658

ULB Halle 3
004 518 705



f
5b





Geo num. 70. O. #9.

INAUGURALIS
ICA
IONE

1658/19 19

ECIE

TA,

M. A.
Magnifici & Nobilissimi
Salana Ordinis,

I D E
O
MO, AMPLISSIMO AC
SSIMO,

STRAUCHIO,
demia longe celeberrimo,
Confiliario Saxonico, & Curia
abinatus Assessore gravissimo, Fa-
cano spectabili, &c.

io quovis honoris & observantia
osequendo,
URE HONORIBUS AC PRI-
GITIME CONSEQUENDIS,
examini submittit
ELINGIUS, Bremensis.

V. Julii,
ue solitis.
IE IVBILÆO.
ANNIS NISI.

**KENFRIED
UNIVERS.
ZVHALLE**

4'

